

*Scriptura mutare non possumus, nisi placet, Conciliator & interces-
sor: Ille verè & dubitanter loquitur, & Synonymis componit
planè in nostram rem aptis, & usum loquendi sacrum vul-
gari h.l. adversari, nil minus quàm asserit. Ita Socinus Be-
zam appellat, miris cum epithetis honoris, quod ad erro-
rem suum facere videatur. Quid hic vero d.l. Dixerat Apo-
stolus non opus esse Internuntio, iis qui inter se consentiunt. Itaque
Legem cum per internuntium ferretur, non fuisse consensûs sed dis-
cordie signum. Et paulo ante: Paulus arreptâ occasione ex ipso fe-
rende legis modo, eam ostendit non modo non esse vinculum illud nô-
stræ cum Deo conjunctionis, sed etiam certissimum esse signum nostræ
ab illo alienationis. Cedo enim, quæ causa fuit cur in ferendâ lege sit
adhibitus internuntius? Quia Deum ut terribilem ac formidabilem
legislatorem ferre non poterat Israël. Ergo lex illud non est quo Israël
adjungitur Deo, sed quo deterritus, internuntium requirit. Lex,
inquam, non est appendix illius suavissimæ vocis: sum Deus tuus
& seminis tui; qua nemo non alliciatur. Quamvis autem utatur hoc
proæmio, Audi Israël, ego sum Dominus, Deus tuus; ea tamen
est hujus vocis majestas, quam ferre mortalis conditio non possit. Di-
citur ergo internuntius non esse unius, sed minimùm duorum i. e.
inter se dissidentium. Nam omnibus linguis usitatum est, ut qui inter
se amant, unum esse dicantur. Et præterea respexit Paulus Dei &
hominis conjunctionem in Christo, cuius per fidem sumus participes, ut
Job. cap. 17. v. 21. & 1. Cor. c. 6. 17. & 2. Petr. 1. 4. Id verò quàm ve-
rum sit apparet ex Evangelicæ doctrinæ cum legalibus mandatis com-
paratione. Nam pro eo quod lex nos perterrefacit, Spiritus docet nos
clamare, Abba pater! & magna cum fiducia ad thronum majestatis
Dei percurrere, ut filios decet de bona patris voluntate securos, ut
infra v. 26. 28. & 29. Evangelium igitur illud unum est, quod fideles
omnes in Christo coalescentes benedictionem illam gratuitam percipi-
unt; Ero Deus tuus & seminis tui. Quo pudore ergo audent pseudo-
postoli (Socinus & Crellius) legem cum promissione conjungere ut
Christum officio suo spolient?*

§. 8. Ex dictis ante Synonymis alia minus, alia magis
ad plenam explicationem & significationem nominis Me-

B

diator